





46

29

DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
**LITIS REASSVMTIONE**

P A R S II.

IN

ORDINE CIRCVLARI  
CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

IN

ACADEMIA ERLANGENSI

P R A E S I D E

IOANNE ERNESTO SCHROETERO

I. V. D. ET P. P. ACAD. BIBLIOTHECAR.

R E S P O N D E N T E

G V I L I E L M O H E N R I C O M E Y E R

OERINGA-HOHENLOICO L L. C.

D. III. OCTOBR. A.O. MDCCCL

H. L. Q. C.

HABENDA



ERLANGAE

AERE IOANNIS DITERICI MICHAELIS CAMERARII

HIVVS VNIVERSIT. TYPOGRAPHI.





DE  
LITIS REASSVMTIONE  
GENERATIM.

§. XXXV.

**A** judice dirigendus est actus litis reassumtionis, is igitur sententia sua determinare debet, an lis ad normam legum reassumta sit, nec ne? Optime autem monet CARPZOVIUS n) facta reassumtione in eo ipso termino vterius procedendum esse, ita, et super virumque passum, tam reassumtae litis, quam ulterioris processus postea prouincietur. Id quod laudabili Saxoniorum Ictorum lites abbreviandi studio admodum conuenit. Pone igitur reum ante item contestatam mori, heredes eius ad item reassumendam, contestandamque simul citantur, eodem que die vterque actus peragitur, quo finito iudex de utroque fert sententiam.

n) in Processu Tit. 6. artic. 4 §. 1. no. 10. p. 205.

A 4

§. XXXVI.

## §. XXXVI.

Deficienti litiganti succeditur per litis reassumptionem in lite. Deficit autem litigans morte naturali, vel ciuili. Ad hanc quod attinet, moribus nostris maximae capitum deminutioni aequiparatur declaratio in bannum imperii, nihil autem ex bonis banniti ad successores eius venit, cum omnes omnino fisco cedant: exceptis solummodo iis bonis, quae ex pacto et prouidentia maiorum, non ex beneficio banniti, ad eius heredes veniunt. Eo igitur tantummodo in casu, si bannitus bona eiusmodi relinquit, eaque litigosa sunt, mors civilis hodie locum facit litis reassumptioni. <sup>e)</sup>

<sup>e)</sup> MAVRITIUS de citat. ad reass. th. 27. p. 582. seqq.

## §. XXXVII.

Quoties pars litigans deficit, toties locum habet litis reassumptio. Si is igitur, qui haec tenus litigantis partes sustinuit, liti vltro renunciat, etiam quibusdam in casibus successores eius ad item reassumendam in ius vocandi sunt. Nam licet quis sit moderator ac arbiter rerum suarum adeoque prout collibitum est a lite quae de rebus suis mouetur recedere possit, tamen id in praeiudicium alterius, cui in re in item deducta ius competit quæsitum, fieri non posse, expediti juris est. Exempli causa ponatur aliquid, quod pateat latius. Pater licet liberim de bonis suis habeat facultatem constituendi, tamen de ea parte, quae liberis lege debetur, in ipsorum non potest disponere praeiudicium. Et ex eodem manat fonte; patrem scudo, quod ex pacto et prouidentia maiorum

iorum, ut loqui solent, ad filium pertinet, in praedi-  
cium filii renunciare non posse. Hisce igitur in causis,  
vbi abdicatione processus ius cuidam admittitur quae situm,  
is cuius ius deminuitur, ad resumendam item est citandus.  
Nec est quod quis nobis obiciat, liberis separata hoc in  
casu competere remedia, quibus eiusmodi alienationem,  
quae per abdicationem litis fit, reuocare queant; cum  
melius sit intacta iura seruare, quam post vulneratam cau-  
sam remedia quaerere. I. fin. C. in quibus causs. restit. in  
integr. necess. non est. <sup>f)</sup>

b) MAVRITIVS l. c. §. 28. p. 583. seqq.

### §. XXXVIII.

Denique deficit litigans, si res in item deducta ad  
alium venit possessorem, licet is successor vniuersalis defi-  
cientis litigantis ceteroquin non sit, <sup>c)</sup> atque sic et hoc  
in casu citatio ad resumendam item requiritur.

c) Hanc rem infra, vbi de reassumptione litis a successore particulari fa-  
cienda, pluribus sumus exequuntur.

### §. XXXIX.

Litis reassumtio tum demum locum habet, vbi partium  
litigantium quis deficit, iudex autem inter partes litigantes  
referri nequit: igitur nec iudice mutato litis reassumtio re-  
quiritur: b) hoc autem quo minus iudex nouus partes,  
ut ulterius in causa progrediantur, in ius vocet, nihil im-  
pedit; quae tamen citatio cum citatione ad resumendam  
item neutiquam est miscenda. <sup>r)</sup>

b) V. MARTINI Analecta Forensia ad Commentarium Forensem in ordinat.  
Process. Iudic. Sax. Veter. ad lit. XVII. Rubric. ad num. II. no. 2. p. 426. seqq.

t) v. MAVRITIVS loco saepe cit. §. 16. p. 567. seqq.

A 3

§. XL.

## §. XL.

Cum mutatio personae litigantis locum tantum faciat litis reassumptioni, facile patet, nec mutato iudice delegato, ut lis resumatur requiri, sine iudici intuitu officii, sine in eius personam delegatio facta sit. <sup>K)</sup>

<sup>K)</sup> WERNHER d, de litis Reassumptione §. 19. p. 14. seqq.

## §. XLI.

Deficiente litigante ad resumendam litem citandis sunt eius successores. Actor et reus litigantes sunt: alterutro igitur ex his moriente, successores eius litem suscipere tenentur.

## §. XLII.

Etiam is, qui in lite quadam accessorie interuenit, litem eo in statu, quo tunc temporis est, reassumere tenetur, quia accessorie interueniens nullo proprio iure gaudet, sed ius alterutrius litigantis secum commune defendit. Et haec litis reassumto quodammodo litis reassumto interuenientis dici posset. <sup>1)</sup> Sed re penitus perspecta haec reassumto, ad illam, de qua nunc nobis fermo est, plane non pertinet; nos enim de hac tantum loquimur, vbi quis in locum deficiens litigantis litem suscipere tenetur, in illo autem quem modo tetigimus casu, nullus litigantium deficit, adeo, ut actus ille, quo accessorie interueniens liti se eo in statu, quo illum inuenit, immiscere tenetur, magis litis *assumto* quam *reassumto* dici mereatur. Hoc autem dubium nemini esse potest, successores, tam principaliter, quam accessorie interuenientis, (ut vocari solent) si quidem cum

eum pendente lite deficere contigerit, litem antecessoris sui resumere teneri.

1) v. BERGERI, Eleæta Disceptat Forensium ad Tit. XV. Observ. 1, p. 446, seqq.

### §. XLIII.

Vno ex litigantibus deficiente litis reassumtio locum habet. Personae litigantes, vel ipsi in iudicio agunt. Vel aliis vt negotia sua curent mandare solent, quos procuratores vocamus. Quid igitur iuris sit deficiente procuratore, aut mortuo principali, procuratore adhuc inter viuos existente, nunc dispiciamus. Diversitas iurum hanc quaestione multis implicauit difficultatibus, hinc est quod Doctores hanc quaestione decidentes in varias abeant sententias. Ac primo quidem sunt qui credunt, procuratore post litem contestatam mortuo, a principali litem esse reassumendam. <sup>m)</sup> Ad procuratorem enim aiunt post litem contestatam dominium litis spectare, eum igitur esse personam litiganter eodem modo vt principalis, persona autem litigante deficiente, litis reassumptionem locum habere, atque sic etiam mortuo, aut alias deficiente procuratore.

<sup>m)</sup> MAVRITIVS de Citation. ad reasum, th. 15., p. 580. RICHTER To. I. Parte I. consil. 29, no. 4, p. 180. et PHILIPPI diss. de Reassumptione litis cap. 5, th. 12, no. (6).

### §. XLIV.

Nec desunt tamen Icti numero et auctoritate antea citatis haut impares, o) qui mortuo, aut alias mutato procuratore, litis reassumtione opus non esse, multis in medium productis

productis argumentis adfirmant. Sed ut vera fatetur, ea quae ad probandam suam sententiam proferre solent, tanti mihi non videntur, ut me ad illorum numerum traducant, licet aliis longe ex rationibus quod ad rem ipsam illis non dubitem adstipulari.

<sup>P)</sup> v. CARPOVIVM in Process. Tit. VI. artic. 4. §. 5. ibiq. citat.  
conf. PHILIPPI diss. de Litis Reassumptione Cap. 2. th 9.

### §. XLV.

In hos Istorum dissensus adecuratius inquirere si quis cupit, eum ante omnia constituere oportet, neminem apud Romanos alterius nomine lēge agere potuisse. <sup>R)</sup> Hinc opus erat, quoties quis aliena negotia in iudicio curare vellet, ut is qui haec in se suscipiebat, dominus litis fieret; <sup>Q)</sup> quod dominium litis in procuratorem per quasi contractum litis contestationis transferebatur. <sup>R)</sup> Hoc dominio litis et id efficiebatur; ut procurator mortuo principali, item nihilominus prosequi posset. L. 23. C. de Procuratorib. Ex quibus conficitur, ut litis reassumtio, si quidem Romanis innotuisset, mortuo mandante, cuius procurator dominium litis iam nactus erat, plane apud eos cessauisset.

<sup>P)</sup> v. B. HEINECCIVM Syntāgm. Antiqu. Rom. Lib. IV. Tit. X. §. 2.

<sup>Q)</sup> de Dominio litis vide peculiarem dissertationem B. BOEHMERI.

<sup>R)</sup> v. B. HEINECCIVM L. c. §. 4. p. 277.

### §. XLVI.

Procurator apud Romanos Dominus litis erat, hinc item semel coeptam et per litis contestationem ad se translatam, si e vita cum exceedere contingeret, ad heredes transmit-

transmittebat s) suos, et hinc si qua citatione ad resumendam litem opus fuisset apud Romanos, procuratoris heredes eō mortuo, eum in finem in ius vocari debuissent. Sed hanc veterum Romanorum subtilitatem de translatione dominii litis in heredes procuratoris iam diu sustulerunt Theodosius et Valentinianus Imp. <sup>r)</sup>

s) v. Illustris BOEHMERI modo laudat, diss. de Dominio litis. cap. 2.  
§. 24. p. 36.

r) lege VII. C. Theodos. de Cognitor. et Procuratoribus. To. I. p. 151.  
edit. IACOB. GOTHOFREDI.

### §. XLVII.

Ex hac tenus dictis facile patet, nostris moribus litis reassumptionem non requiri mortuo procuratore. Cum enim in foris nostris effectus hi dominii litis cessent plerique, u) nostrisque Procuratores in omnibus personas sustineant mandatariorum, mortuo procuratore dum principalis adhuc inter viuos est, deficere litigantem dici non potest, adeoque litis reassumptione tunc quidem locum inuenire nequit. Sin vero principalem vita fungi contingit, procuratore adhuc viuente, hic, nisi mandato in heredes directo instructus sit, litem continuare nequit, sed cum hoc in casu litigans vere deficiat, illius heredes litem reassumere tenentur.

u) Videntur quidem Domini litis in procuratore adhuc existere quidam effectus, praesertim cum in R. I. nouiss. loco infra citando constitutum sit, ut sententiae mortuo principali, contra procuratorem mandato in heredes directo instructum, pronuntientur. Sed quae ibidem additur constitutio; ut nempe procurator intra tres menses nomine mandantium in Cancellaria edere teneatur, quo magis congrue concipi queat sententia, fatis superque docet procuratorem litis dominum moribus nostris non esse.

B

### §. XLVIII.

## §. XLVIII.

Ea vero quae in praecedentibus dixi in Germaniae foris vere vnu seruari, obseruare licet vel ex eo, quod in iudicio camerali, deficiente procuratore, sententia vt vocatur paritoria in mandantem feratur, sine praecedente noua citatione ad resumendam litem, v) Id quod fieri non posset, si quidem MAVRITII aliorum que Iureconsultorum supra §. XLIII, not. citator. sententia, vera videtur summo huic Imperii nostri Tribunali.

v) B. DELVDOLF in iure camerali p. 91.

## §. XLIX.

Qui ea quae de litis reassumptione mortuo procuratore haec tenus diximus pérpendit, eidem quae sit nostra sententia, in quaestione: *an abdicatio procuratoris locum faciat litis reassumptioni?* facile patebit. Nam licet summi ceteroquin Icti w) supra §. XLIII. citati hanc quaestionem affirmare non dubitent, tamen nobis, cum hoc in casu persona litigans vere non deficiat, contrarium videtur.

w) v. RICHTERVM Part. I. Consilior. Consil. 29. no. 4. To. I. p. 180. et MAVRITIVM §. 29. p. 555. qui tamen simul notat in iudicio camerali propter abdicationem procuratoris litis reassumptionem facile non desiderari, cum in hoc splendito iudicio semper alter substitutus sit procurator, altero deficiente,

## §. L.

Si plures litigantes vni procuratori vt caussam illorum in iudicio defendat mandauerunt, uno ex his mortuo, procurator nihilominus, litem coeptam ad finem perducere potest. I. 23. C. de Procuratoribus; id quod hodie

die cum aliter se habeat, x) mirifice torquet MAVRITIVM. y) Dominium litis adhuc hodie in procuratorem transferri, ex legibus Imperii probare contendit, z) nec tamen vulneratae caussae aliud inuenire potest remedium, quam illud, dum asserit dominii litis hunc effectum, ut procurator a pluribus constitutus mortuo uno caussam continuari possit, hodie in foris impediri. Sed si vera fateri malum, et hic et reliqui dominii litis in procuratorem translati effectus in foris nostris non impediuntur solum, sed et sublati sunt, ex quo et huius quæstionis deponenda decisio est.

B 2

§. LI.

- x) v. Doctores a MAVRITIO loco mox citando allegatos,
- y) Sæpe laudato opusculo de Citatione ad reassumendum. §. 22. p. 576.
- z) cit. loc. in eos qui negant moribus nostris in procuratorem dominium litis transferri sic inuechitur. Si Neetericorum nonnullarum scriptis fide secure adiungi posset, qui moribus nostris, procuratores non ultra litis dominos fieri autemant, quod existimat Bachov in Treutl. vol. 1. d. 9. th. 10. vers. in camera tamen Gronewouw ad l. 23. C. de Procurator. Ibique allegatus Argentr. et plures cum quo consentire videntur Dni Camerates d. dub. 54. et Dn. Carpov in Proc. h. n. 40. Sed valde veror, ne hac sententia parum solidis nitatur rationibus. Sane post conclusam caussam, adeoque aliquo posse item contestatum tempore, exprefse procurator dominus Uts dicitur: Recess. Deput. Ae. 1600. §. Nachdem auch, ihm, contra Procurat. als Dominum litis; et in iure provinciali Wurtembergico diserte posse item contestatum dominus eius factus esse, dicitur Procurator. Part. I. tit. 16. §. Wer dann, quod probant DD. pratici plures, videlicet elegantissime et accuratissime ea de re differentem Dn. Lauterbach disp. de Subst. Procur. cap. 3. §. 11. Vbi et Bachowii rationibus auctiora falsis facit. Et antea res dubi Cameratis ad Effectus nonnullos dominii instantiae, qui iure veteri competit, moribus impeditos, respexisse videntur. Unde tamen absolute concludere nondum licet; Ergo non ultra eis dominus litis: subiatis enim rei allculas effectibus nonnullis, ea non confessum ipsa etiam tollitur. Ad haec verbova Mauritiis dicta paucis regerere licet. Verbum dominii litis in procuratorem translati occurtere quidem in legibus imperii nostri fundata.

fundamentalibus et provincialibus, rem ipsam autem in ignorantia iudiciorum nostrorum versari, quod tam diu nobis afferere licet, donec Mauritius vel alius quiuis nobis aliquem saltem huius dominii litis ostendit effectum,

## §. LI.

In locum deficientis litigantis succeditur per litis reassumptionem. Is ergo qui item antecessoris sui suscepit, in omnibus deficienti litiganti surrogatur, atque in vniuersum eius ius in lite succedit. Ponamus igitur in iundum esse antecessori, ut certo temporis spatio, terminum vulgo vocant, id quod in iudicio afferuit, probet, aut aliud quoddam negotium iudiciale suscipiat, tempus illud suspenditur quidem, donec is cuius hoc est, item reassumfit, hoc autem semel peracto, non omne illud tempus quod antecessori suo praefinitum erat, sed illud tantum, quod ex hoc tempore moriente antecessore residuum erat, successori datum censetur. A)

A) v. WERNHERI saepe laudat, diff. §. 36, seqq. p. 26. seqq.

## §. LII.

Is qui item alterius reassumfit, in vniuersum ius eius cuius item reassumfit, succedit, ut igitur omnia onera quae antecessori in lite incubuere et ipsi subeunda sunt, ita aequum quoque est, ad eum omnia antecessoris commoda pertinere; quaecunque igitur antecessor eius, impugnare potuit, ut gesta a falso procuratore, et reliqua via latentia litis, eadem et successorи deducere licet. B)

B) v. WERNHER I. c. §. 41. p. 28. seq.

## §. LIII.

Succeditur per litis reassumptionem in locum deficientis litigantis, hinc si litigans primo quidem intuitu deficere

cere videtur, re ipsa autem non mutatur, nec litis reassumtio locum habet. Et hanc ob causam opus non est, vt minor cuius nomine curator item gesit, postquam ad legitimam aetatem peruenit, item resumat. c)

c) CARPZOV in Process. Tit. 6. art. 4. §. 6. no. 45. p. 208.

§. LIV.

Nec si tutor pupilli qui litibus distinetur, moritur; aliasque ei in munere hoc publico succedit, ideo nouus tutor, item vt resumat necesse est, d) cum enim pupillus, non tutor litigans sit, mortuo hoc, persona litigans non deficit, quo in casu lis tantum resumenda est. Ast, respondere si quis velit, aetoria a tutoribus dari, mortuo igitur tute, qui item procuratori mandauit, mandatum exspirare. e) Notandum est, mandari item quidem a tute, sed nomine pupilli, dum hic igitur in viuis est mandatum exspirat minime.

d) CARPZOV l. c. no. 42.

e) WERNHER l. c. §. 23. p. 16. seq.

§. LV.

In Germania nostra dari curam bonorum absens, de cuius vita dubitatur, tam notum est quam quod notissimum, f) quodsi igitur lite de bonis absens mota, curator horum bonorum e vita excedit, is cui cura eorum denuo committitur, item resumere non tenetur, cum hic litigans re vera minime deficiat, dum curatores hi non proprio, sed absens nomine item in iudicio suscipiant, de eo autem quod deficiat tamdiu dici non potest, quoad de eius morte adhuc non constat. Et eadem ex causa litis reassumtio non requiritur, si bonorum

B 3

absentis

absentis curator vita functus sit postquam procuratorem in lite constituit, ille enim procurator litem proprie nomine absentis domini bonorum continuat.

v. SCHILTERVM in Praxi iuris Roman, Exerc. XV. §. LXI. p. 72. no. 2.

### §. LVI.

Ex iisdem quae supra (§. LIII.) diximus decidenda est haec quaestio: Vxor cum marito constituerat procuratorem in lite super re dotali mota, mortua vxore res dotalis hereditatis iure deuoluta est in maritum. Quaerebatur igitur an hoc in casu litis reassumtio locum haberet? quod omnino negandum. Maritus enim constante matrimonio dominus est dotis, lege VII. §. III. de iure dotium; quamvis eius dominium sit restrictum, adeoque cum lis super re dotali constante matrimonio mouetur, ad maritum haec lis spectat, licet vxorem in ius vocauerit actor, maritus igitur litigans est, et suo iure procuratorem constituit, quodsi igitur postea vxor a qua res dotalis petita est vita fungatur, maritumque relinquat rei dotalis heredem, persona litigans re ipsa non mutatur, ideoque litis reassumtio cessat <sup>6)</sup>

v. BERGERI Supplements ad Electa Disceptat. forensum. P. I. ad Tit. IIX. no. 2. p. 126.

### §. LVII.

Quoties litigans deficit litis reassumtio locum habet. Hinc si plures actoris reiue personam sustinent, et vel vnum ex his vita fungi contingat, eius successor ad litem reassumendam est vocandus, idemque dicendum est, licet omnes hi qui alterutrius litigantium partes sustinent, vnum procuratorem constituerint <sup>ii)</sup>

v. MAVRITIVM saepe cit. diff. §. 17. p. 569.

### §. LVIII.

## §. LVIII.

Aliter vero se res habet in Syndico, qui ab vniuersitate constitutus est. Moriente enim Syndico litis reassumtio locum non habebit i) cum mutato procuratore non sit, quod item reassumas §. XLVII. Si autem omnes personae aut maxima pars earum qui Syndicum constituerunt e vita excedere contingat, nec dum quidem vlla item resumendi erit necessitas, cum vniuersitas non moriatur, lege VII. in fine. Quod cuiuscunq; vniuersitatis nomine vel contra eam ag. Quamquam ita hic in diuersas partes abeant k) In Saxonia Electorali autem haec quam nos tuemur sententia, licet contra opinionem Carpzouii sit, lege publica l) constituta est.

i) Liceat haec nobis contra WERNHERVM saepe cit. diff. §. 24. p. 17.  
ex iis quae supra §. XLVII. vberius deduximus, afferere.

k) v. Itos in utramque partem allegatos a BAKTHIO Diffensu 770, p. 435.  
To. 3. quibus adde sententiae nostrae accedentes PHILIPPI de Reass.  
Litis cap. 2, th. 5. SVENDENDOERFFER ad Process. Fibigianum  
p. 767.

l) in Ordinatione nempe Processuali Recognita tit. VII. §. penultim.

## §. LIX.

Deficiente alterutro litigantium resumendam esse item satis explicatum arbitror in superioribus, sequitur ut a quoniam eadem resumenda sit persequar. Cum autem per litis reassumptionem in locum deficientis litigantis surrogandus sit quidam, facile patet, eum qui in ius litigantis succedit, item quoque resumere oportere. Primo igitur heredes qui in ius omne litigantis succedunt, item defuncti reassumere debent.

## §. LX.

16 DE LITIS REASSUMPTIONE GENERATIM.

§. LX.

Heredibus praecunctis competit ut litem defuncti testatoris sui resumant; et pluribus coheredibus litis reassumatio simul incumbit, vbi tamen notandum illegitimum vius litis consortis reassumptionem non impedit, quo minus de ea quae conuenienter ab altera parte facta est sententiam ferat iudex. Hinc pone, coheredes per procuratores litem resumere, et virum ex his procuratoribus mandato speciali instructum non esse, cum reliqui mandato speciali gaudeant et litem conuenienter resumant, eo in casu merito pronunciabit iudex:

*Dass Bettl. Anwälte zur reassumtion des Proesses seine Person, durch Vorlegung eines sonderbahren hierzu ertheilten Mandats, zu legitimiren schuldig, Mindestl. haben den Proess zur Nothdurft reassumiert m).*

<sup>n)</sup> v. MENCKEN in Tr. Synop. Proc. Sax. Diff. VIII, §. 8. et WERNHER saepe indic. Diff. §. 35. p. 25.

§. LXI.

Plures si sunt coheredes omnes litem defuncti reassumere tenentur. Quaeri igitur potest: an pluribus coheredibus in ius vocatis, quibusdam emanentibus ii qui in judicio comparuerunt exceptione plurium, vt vocant, interessentium se a litis reassumtione liberare possint? id quod merito, contra opinionem BERLICHII negat SVENDENDOERFFER <sup>n)</sup> singuli enim heredes litem resumere tenentur, atque ideo ad eos qui comparuerunt, absentia reliquorum coheredum nihil adtinet.

<sup>n)</sup> in Proces. Fibigiano p. m. 760.

Sed et hic ex instituti ratione filium iterum abrumendum est. Reliqua hulus capitum quam proxime cum B. L. communicaturi.

F I N I S.





Erlangen, Diss., 1743-50

ULB Halle  
003 552 225

3



f

Sb.

W18







46  
23

DISSE<sup>TATI</sup>O IVRIDICA  
DE  
**TIS REASSVMTIONE**  
PARS II.  
IN  
ORDINE CIRCVLARI  
NSENSV ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
IN  
ACADEMIA ERLANGENSI  
PRAESIDE 1750  
**ANNE ERNESTO SCHROETERO**  
V. D. ET P. P. ACAD. BIBLIOTHECAR.  
RESPONDENTE  
**VILIELMO HENRICO MEYER**  
OERINGA-HOHENLOICO L. L. C.  
D. III. OCTOBR. A.O. MDCCCL.  
H. L. Q. C.  
HABENDA

ERLANGAE  
ERE IOANNIS DITERICI MICHAELIS CAMERARII  
HVIVS VNIVERSIT. TYPOGRAPHI.